



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Cap. I. De Sueciâ in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

## CAPVT PRIMVM.

## De Suecia in genere.

§. 1. *Nomen Suecorum.*

**N**OMEN inditum huic Prouinciæ à Suenno filio Magogi Noëmi ex Iapheto filio nepote, vt primæ huius regni historix, seu fabulæ testantur. Vel fortè à Suionibus Scandiæ populis, de quibus in veteri.

§. 2. *Quantitas Suecorum.*

QUANTITAS eius secundùm latitudinem desumitur à Christia-nopoli 56. 2. Mi. ad ostium Fl. Paës sub 70. quod spatium red-dit 820. millia passuum, seu leucas nostras Francicas 410. Sueci-cas 137. ferè. Secundùm longitudinem ab Insulis in littore Oc-cidentali Gothiæ, quas vocant *Patenostres* 32. ad Fanum S. Nico-lai ad Lagogam lacum 57. quod spatium ad maiorem circulum reuocatum sub gradu 60. latitudinis dat 750. millia passuum, leu-cas nostras 375. Suecicas 125.

§. 3. *Qualitas Suecorum.*

HIC aër ferè purior est, quare omnes Sueci *μακροβίοι*. Obnoxij tamen sunt morbo qui ex salsis cibus, & parietum frigore contra-hitur, *scöerbuck* appellant, nos molliùs *le Scurbut*, qui tamen aquâ absynthio dilutâ sanatur. De frigore huius regionis dicemus in Admirandis.

DIVIITIÆ. Sub finem sæculi præcedentis Rex inferebat in æra-rium omnibus subductis & impensis 7. auri *Tonas* vt vocant, quarum singulæ 100. millia thalerorum exigunt, seu ferè 100. aureorum nostrorum millia: licèt arces duæ Reuelensis, & Vi-burgensis 100. millia thalerorum absument, quæ tamen summa ei ex sale Liuonico conficitur in præsentia. Reliqua petit ex vecti-galibus, portoriis & fodinis. Certè tantùm æris hinc eruitur, vt materiem tormentorum bellicorum, atque campanarum om-nibus Europæis suppeditet.

*Parall. Geogr. Tom. II.*

X

MERCES. Corium, pelles magni precij; butyrum, adeps, cera, æs, equi, adeps vituli marini, trabes ad malos nauium.

Nundinæ hîc duæ celeberrimæ, Vpsaliæ altera *Disting* dicta ad festum Epiphaniæ; altera in lacu Melero ad urbem Stren-gam, præcipitante anno; vtraque in aquis glacie concretis celebratur.

#### §. 4. Religio Suecorum.

AD eam promouendam plurimum laborauit Ludouicus Pius Caroli Magni filius, sed ea clam in eas regiones irrepebat, donec Sacerdos illius magnificentissimi Templi, non procul ab vrbe Si-ctona, vel Birka factus cæcus monitus est à B. Virgine, vt filium suum coleret, eique visum restituit, exinde enim Sueci sacris aquis omnes penè intincti: perdurauitque Religio, donec Rege Gustauo Erici filio, hîc rerum potente, inducta Lutherana pestis sub nomine Confessionis Augustanæ; bona Ecclesiæ direpta, & addicta fisco aut proceribus distributa, multis ex plebe, & rusticis Catholicam fidem retinentibus, quam ad posteros propagant, & ad nostra littora appulsi magni faciunt, vt legere est apud Florimondum Remondum in libro de Hæresi nascente.

#### §. 5. Politia Suecorum.

REIP. Suecicæ 6. status; Principes Hæreditarij, Nobiles, Clerus, Milites, Mercatores, Ruricolæ. Regis primogenitus hæres est regni, reliquis Regis liberis Ducatus cedunt, Dos filiabus, constitutionibus regni decernitur 100. millium thalerorum vulgò. Olim eligebatur Rex, nunc succedit, sed priùs iurat in Confessionem Augustanam, & leges regni. Nobiles sufficiunt ampliores magistratus, quorum præcipuus *Dorseth*, quem Archidapiferum, meliùs Proregem dicerent; is olim monebat Regem si quid in leges peccaret: sequuntur Marecallus, Admiralius, Cancellarius, &c. Reliqui Nobiles diuiduntur in Comites, Barones, Equites Auratos, & communem nobilitatem, dicimus nos *Esuyers*.

In Sueciâ & Gothiâ expediti, & parati pedites 22400. Sola tamen Smalandia rebus exigentibus 30. millia sufficere potest. 50. naues bellicæ instructæ semper stant in anchoris. In arcibus suis & vrbibus Rex habet 8. millia tormentorum bellicorum, 400. in vno castro Stocholmensi.

§. 6. *Mores Suecorum.*

HOSPITALES sunt omnes Sueci: vestitus plebeius vilis, Nobilium prout inter peregrinandum, modus gentis cuiusdam eis placuit. Ædificia ferè lignea, & humilia, ob frigus & ventos, Stocholmiæ tamen pleraque saxea. Cùm annona carior viuunt corticibus abietum & pinearum, quas stomacho prodesse, neque malignè nutrire opinantur. Ad bella nati, & labores ferendos videntur, & satis eorum fortitudinem nostris temporibus Germani experti sunt.

Diuiditur SVECIA MAGNA in Sueciam propriam, Gothiam, Finlandiam, Ingriam, & Liunioniam, quam tibi diuisionem hoc schemate proponimus.

§. 7. *Magna Suecia diuisio.*

SVE-	C I A	S V E - V O N I A <i>Sueno- nic.</i>	{	Vplandia: <i>Vplande.</i>
				Vestmania: <i>Vestmanie.</i>
P R O - F R I E	D I C T A,	N O R T - L A N - D I Æ <i>la vraye Suede. les Nor- delles.</i>	{	Dalecarlia: <i>Dalecarlie</i>
				Nericia: <i>Nericie.</i>
				Sudermania: <i>Sudermanie.</i>
				G E S T R I C I A: <i>Gestricie.</i>
			{	Helsingia propria: <i>Helsing, seu Sund- hede.</i>
		HEL- SIN- G I Æ <i>Helsing.</i>		Medelpadia: <i>Medelpad.</i>
				Angermania: <i>Angermanie.</i>
				Bothnia: <i>Bothnie, ou les Boddes.</i>
				Lapponia: <i>le pays des Lapons.</i>
G O -	T H I A	O C C I D E N - T A L I S <i>Occidentale, ou Vest-Gothie.</i>	{	Vestrogothia: <i>Vestrogothie.</i>
				Dalia: <i>Dalie.</i>
		D A N I C I I V R I S Prouincia.	{	Vermelandia: <i>Vermeland.</i>
				Hollandia: <i>Holland.</i>
		O R I E N - T A L I S	{	Ostrogothia: <i>Ostrogothie.</i>
				Smalandia: <i>Smaland.</i>
				Oelandia: <i>Oeland, Isle.</i>





la Go-  
thie. { Orientale, ou  
Est-Gothie. { DANICI } Gotlandia : *Gotland Iste.*  
IVRIS } Scania : *Sconen.*  
ditiones } Blekingia : *Blekingen.*

FIN-  
LAN-  
DIA { Finlandia Meridionalis : *la Finlandie Australe.*  
Finlandia Septentrionalis : *la Finlandie Boreale.*  
Caiana : *la Caianie.*  
Sauolaxia : *la Sauolaxie.*  
Finlan-  
die. { Tauastia : *la Tauastie.*  
Nylandia : *la Nylandie.*  
Carellia : *la Carellie.*

INGRIA *l'Ingrie.*

LIVO-  
NIA. { Esthonia : *Eften.*  
Leitlandia : *Leitland.*  
CURLANDIA { Curlandia propriè dicta : *Curland.*  
Curland. } Semigallia : *Semigallen.*

### CAPVT II.

*Suecia vera, seu propriè dicta.*

§. i. *Sueuonia, prima pars vera Suecia, la Sueuonie,*  
*premiere partie de la vraye Suede.*

V P-  
LAN-  
DIA { STOC HOLMIA, & Holmia : *Stocholm, seu Holm, totius*  
*Regni caput, & Regis sedes, in faucibus lacus Me-*  
*leri Meler, piscosi in primis, quâ in vrbe nihil etiam ad*  
*delicias deest : ex bellis Germanicis, & ditior & lau-*  
*tior facta est.*  
VPSALIA : *Vpsal, totius Septentrionis olim Regia, vn-*  
*de dicebatur Vpsala Konung, sedes Archiepiscopalis.*  
*Sita est ad Fl. Salam qui influit in lacum Ekolen. Incu-*  
*bat vrbi arx munitissima ex rupe : habet Academiam*  
*iam celeberrimam.*  
*la Vp-*  
*lande,*  
fru-  
menti  
ferax. { Enecopia : *Encopen, mercibus diues.*  
Sigrunia : *Sigrun, infra Vpsaliam.*  
Oregrundia : *Oregrund, ad mare è regione Insulæ Grason.*  
Hinc quoque pendet ALANDIA Insula multis minori-  
bus Insulis præcineta.